



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

397. Quænam sint substantialia electionis per compromissum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

mirum ab Electoribus) qui vice omnium Ecclesie viduata proficiant de Pastore &c. melius autem committitur hæc potestas aliquibus in numero impari. c. in causis. c. cum dilectus. c. cum in iure. h. r. Potest etiam committi uni. Abb. in c. in causis. n. 2. Butrio in c. cum dilectus. n. 2. quin & melius committitur uni. Pass. n. 3. Qui etiam esse potest non Prælati; etiam ipse confirmator. Pass. loc. cit. Etiam mas respectu monialium. c. causam. h. r. Pass. n. 3. Poterit quoque Capitulum aliquos eligere, per quos eligantur compromissarii, electuri vice Capituli. Laym. l. 4. tr. 2. c. 12. n. 6. Sigism. dub. 20. n. 2. Miran. tom. 2. q. 23. a. 34. Pass. loc. cit. Porro dum tres electi seu constituti compromissarii sub hac verborum forma: dantes eis, & cuilibet eorum, potestatem eligendi &c. illorum quilibet censetur institutus in solidum, Gemin. ad c. cum expediat. h. r. in 6. n. 7. primoque electus ab uno illorum est confirmandus. Gemin. loc. cit. Pass. n. 4.

*Questio 394. An Compromissarii debeant esse Clerici, & de Capitulo?*

1. **R**espondeo ad primum affirmative, Gl. in c. quia propter.

2. Respondeo ad secundum negative. c. causam. h. r. ibidem. Abb. & Butrio, Biax. p. 3. c. 17. Sigism. loc. cit. n. 1. Pass. n. 3.

*Questio 395. Quotuplex sit compromissum?*

**R**espondeo duplex: aliud absolutum, dum Electores absolute & sine limitatione compromittunt in aliquos, ut eligant, quem voluerint. c. in causis. c. causam. h. r. Aliud limitatum, quo compromittitur limitate, ut, scilicet compromissarii, auditis omnibus vocalibus, eligant illum, in quem major pars Electorum convenerit, de hoc compromisso sermo est in c. cum dilectus. c. si cui, & cap. cum expediat. h. r. nullumque est hoc compromissum, ut decernitur c. si cui. Dum electores facultatem dant Compromissariis eligendi illum, qui fuerit à pluribus Electorum, non tamen constituentibus maiorem partem Capituli nominatus. Laym. de Elect. q. 87. Pass. n. 5. Porro hoc compromissum limitatum est forma quadam electionis mixta, nimirum ex scrutinio & compromisso, etsi principaliter dicatur forma compromissi. Gl. in c. cum expediat. v. exquisitis. Gemin. ibid. n. 7. Adeoque electores in nominando compromissarii illo, quem eligi volunt, accuratè servare debent leges scrutini statutas cap. quia propter. Pass. n. 7. (non tamen ipsa nominatio compromissariorum subiecta est scrutini legibus, sed potest fieri viva voce, ubi id specialiter prohibetur non est, vel per fabas aliòve modo. Pass. n. 18.) erit enim aliàs forma eligendi distincta ab illis tribus statutis in c. quia propter. adeoque reprobata & nulla, juxta cap. si cui. Unde, si compromissarii unum de Collegio ab omnibus nominatum elegerunt, non exquisito illius voto, & hic electus consensit electioni, electio erit nulla, quia de ratione scrutini est, ut vota omnium Electorum inquirantur. Pass. n. 10. Item nulla est electio, si compromittant Electores, ut determinatè eligatur talis; talis enim nominatur extra scrutinium, quod non valet; secus tamen est, dum à se nominatum in scrutinio determinatè compromittunt eligendum. Item nulla est electio, si statuatur compromissarii, limitando eis electionem, ita v. g. ut eligant unum ex tribus, quos tres de Capitalo

nominabunt, quia hæc est forma non expressa in c. quia propter. omnis autem forma ibi non expressa est nulla. c. si cui. Econtra autem si dictæ leges scrutini serventur, non tam erit forma distincta ab illis tribus, quam integrata ex earum duabus & minime contraria illis species. Gemin. in c. cum expediat. h. r. in 6. Pass. n. 7. Qui etiam n. 15. & 16. rectè observat, in hoc compromisso limitato non committi nisi electionem communem, vel ad summum publicationem scrutini, & collationem, siquidem nominare in scrutinio eligendum sibi servant Electores, & compromissario non conceditur facultas, nisi eligendi nominatum à maiore & saniore parte; distingui nihilominus adhuc à forma scrutini pura per hoc, quod in electione per scrutinium is, cui committitur electio communis eligat vice presentium electorum, in dicto autem compromisso eligat vice propria, & aliorum compromissariorum; si eorum sint plures, cum facultas talis electionis à Capitulo transferatur in compromissarios, Unde etiam licet, ubi in forma scrutini pura à lege determinatus est, qui faciat electionem communem, non possit ea committi alteri, possit tamen per viam compromissi deferri alteri, dum compromissum non est quoque prohibitum. Observandum etiam quod ad hoc compromissum limitatum, quod ubi singulorum electorum vota exquiri debent per ipsos compromissarios, plures necessarii constitui debent, & tot, quot ex jure necessarii sunt scrutatores: nam tunc hi compromissarii sunt ipsi Scrutatores electionis; Si verò compromittitur sola electio illius, qui ex scrutinio facta ab aliis & publicato inventus fuerit nominatus à maiore & saniore parte, unus solus constitui possit compromissarius, quin &, ut Pass. n. 17. ad hunc effectum ineptè statuuntur plures. Observandum denique in hoc compromisso non habere locum accessum, adeoque à Compromissario eligi non poteritis, qui cum in scrutinio nominatus non esset à maiore parte, tot tamen post scrutinium ad eum accedunt, ut jam evadat nominatus à maiore parte; cum vota data extra scrutinium non valeant. Vide de hoc Pass. n. 9.

*Questio 396. Num valeat compromissum aliquo Electorum contradicente?*

1. **R**espondeo primò: negative de compromisso absoluto; nullus enim tenetur cedere jure suo; quilibet autem electorum habet jus eligendi. Abb. in cap. scriptum. h. r. n. 3. & in c. in causis. n. 30. Franc. & Butrio in cap. quia propter. Biax. p. 3. c. 18. n. 1. Lamb. de jure p. 1. 2. p. 2. q. 2. a. 17. Sigism. dub. 10. n. 31. Pass. n. 19.

2. Resp. secundò: de compromisso limitato sufficere, quod in electione compromissariorum consentiat major pars; cum in isto modo electionis nulli fiat injuria, dum unusquisque nominare potest personam, quam vult, & compromissarii nequeant eligere, nisi nominatum à maiore parte Capituli. Gemin. & Franc. in c. cum expediat. & plures alii, quos citat Pass. & sequitur n. 20.

*Questio 397. Quæ sint substantialia electionis per compromissum?*

1. **R**espondeo primò in genere, ea omnino necessaria esse, quæ necessaria sunt ad electionem in genere; quod enim est necessarium generi, necessarium etiam est speciei. Pass. n. 21.

N 4

2. Re.

2. Respondeo secundò in specie, necessarium esse Primò, ut compromissum in genere compromissi sit validum. Secundò, ut compromissarii non excedant formam compromissi, & potestatis sibi commissæ. Tertiò, ut electio communis fiat ab eorum uno, dum plures sunt. *cap. sicut. h. t. in c. idque per verba numeri singularis, sicut & in electione per scrutinium. Pass. n. 22.* Quartò, ut in decreto electionis unus ex compromissariis dicat: *Ego Titius vice mea & sociorum compromissariorum* (si sunt plures) *virtute compromissi eligo Cajum.* *Pass. n. 24.* Quintò ut compromissarii non eligantur, nisi collegialiter unitis presentibus scilicet, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse. *Pass. loc. cit.* Sextò, ut eligantur compromissarii (subintellige in compromisso absoluto) ab omnibus, nemine electorum contradicente. *Pass. n. 22.*

**Quæstio 398.** *An Electores possint revocare commissionem datam Compromissariis?*

**R**espondeo: id eos posse, re adhuc integrâ; *secus re non amplius integrâ. Sigism. c. in causis, ibid. Abb. n. 11. Barb. n. 4. Mirand. r. 2. q. 23. a. 34. concl. 3. Sigism. dub. 20. n. 7. Pass. n. 25. cum communi contra Gl. in c. in causis.* tum autem res in præsentem materiam adhuc est integrâ, cum compromissarii nondum attigerunt substantialia negotii, nimirum dum necdum ceperunt tractare de persona eligenda, licet inceperint actus quosdam alios, qui tantum sunt de solennitate, v. g. cantare missam de Spiritu sancto. *Barb. Sigism. ll. cit. Pass. n. 26.* Porro etiam re adhuc integrâ revocari non potest data potestas compromissariorum, nisi à majore parte Capituli. *Abb. in c. in causis. n. 16. Felin. in c. de major. & obed. Sigism. l. cit. Pass. n. 27.* remanente semper apud minorem partem facultate rationabiliter opponendi contra defectus compromissariorum. *Pass. loc. cit.* qui tamen etiam præcisè ob infamiam puri facti rejici non poterunt; cum hæc infamia non vitiet electionem. *Sigism. loc. cit. n. 11. Pass. n. 28.* Sed neque re adhuc integrâ, etiam à majore parte revocari potest compromissum, dum data est compromissariis facultas ista gratiâ & favore ipsorum, nimirum ut electores illos hac ratione honorent (in dubio autem non censetur illis hoc modo donata hæc potestas. *Lavor. c. 19. n. 23*) habet se enim tunc hæc collatio per modum donationis irrevocabilis. *Abb. & Gl. in cap. in causis. Biax. p. 3. c. 19. n. 2. Pass. num. 30.*

2. De cetero, ut potestas hæc re integrâ adimatur compromissariis, requiritur revocatio expressa, intimata compromissariis. *Abb. in c. in causis. Biax. loc. cit. n. 3. Pass. n. 31.* nec sufficit revocatio tacita, nisi in hoc casu, dum Capitulum re adhuc integrâ prius eligeret, quàm compromissarii inceperint tractare de electione; cum re integrâ potestas adhuc remaneat apud Capitulum; unde dum illud tunc eligendo utitur potestate suâ, locum non habet electio subsecuta compromissariorum, licet hi electionem à Capitulo factam ignorassent. *Biax. & Pass. ll. cit.*

**Quæstio 399.** *An compromissum sit validum, si compromissarii eligantur à Superioribus, vel ab uno aliquo Capitulari, reliquis tacentibus, & non repugnantibus?*

**R**espondeo negativè: in rebus enim arduis magna que importantia debent omnes singulatim

interrogari, & expressè consentire, & in re onerosâ & gravi taciturnitas non habetur pro consensu. *Abb. in c. in causis. n. 3. Biax. p. 2. c. 19. n. 2. Lambert. loc. cit. a. 17. Sigism. dub. 22. n. 1. Pass. n. 32.* Verùmque idipsum est, etiam si singuli de Capitulo vocarentur, sed non daretur eis intervallum, in quo nedum possent respondere, sed commodè & prudenter deliberare & contradicere; quia taciturnitas post responsionem non statim habetur pro consensu. *Innoc. in c. cum in cunctis. h. t. Gonz. ad reg. 8. cancell. gl. 46. n. 40. Sigism. dub. 22. n. 4. Pass. n. 35.* citans quamplurimos alios. Neque obstat, quòd ubi in Capitulo tractatur aliquid illicitum & damnabile, qui sunt in Capitulo, teneantur illud expressè contradicere; nam hoc ad summum verum est, quantum ad vitandam culpam: sed nec hæc incurritur, aut tacens haberi potest pro consentiente, dum Capitularis tacet, quia videt se loquendo nihil profecturum, vel à numero sufficiente vocalium negotium illicitum jam esse conclusum. *Abb. in c. in causis. Pass. n. 37. citans Biax.*

**Quæstio 400.** *An ubi unus solus est compromissarius, is possit se ipsum eligere?*

**R**espond. negativè. *Gl. in c. cum in jure. h. t. Pass. n. 38.* cum communi. Verùmque idipsum est, etiam si compromissarius jurasset se electurum digniorem, & ipse esset evidenter melior; censetur enim adhuc ambitiosus, & hinc repellendus, *c. in Scripturis. 8. q. 1. Pass. n. 39.* neque ipse cadit sub isto juramento, sed intelligitur exceptus, *Pass. ibi.* quia in generali sermone loquens non comprehenditur *c. petrio. de jurepar. Gl. in c. cum in jure.*

**Quæstio 401.** *Num ubi compromissarii sunt plures, possint eligere unum ex suis, seu ex seipsis?*

**R**espondeo primò: si compromissum sub hac forma, ut compromissariorum unus possit eligi, valebit ista electio, *c. cum in jure. h. t.* Imò sufficit, quòd sit electus à medietate aliorum compromissariorum, & ipse consentiat electioni; consentiendo namque augebit numerum suffragiorum, ita ut jam evadat Electus à majore parte supra medietatem. *cit. c. cum in jure.* Verùm intelligendum hoc de electione, in qua servanda non est forma *cap. quia propter.* nam tunc, si electio fiat per vota publica, is qui se videt electum à medietate eligentium, potest suo consensu augere numerum, absque eo, quòd ex hoc ambitiosus censetur; si autem fiat per vota secreta, poterit adhuc publicatis votis, mutato voto suo, consentiendo suæ nominationi, accedere ad medietatem, & sic augere numerum. *Sylv. v. Electio. n. 20. Pass. n. 42.*

2. Respondeo secundò: si forma compromissi est exclusiva, nimirum ut nullus compromissariorum eligatur, non valebit talis electio. *Pass. n. 43.*

3. Respondeo tertio: si compromittendo nec expressè datur facultas eligendi unum ex compromissariis, nec illa facultas expressè adimitur, valere adhuc talem electionem. *Lavor. cap. 19. n. 36. Pass. n. 43. citans Abb. Archid. Innoc. Host. contra Sylv. Tancred. &c.*

**Quæstio 402.** *Num. si major pars compromissariorum eligat secenter indignum, minor vero pars vel etiam unus solus dignum, valeat*